



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 47. Veruntamen, non sicut ego volo, sed sicut tu. v. 43.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

O Domine Deus meus, En ipsa quoque vita indignus sum, eo quod ipse tibi hunc acerbissimum inussi dolorem, quando non veritus sum pro momentanea profususque vili delectatione committere, quod tu ex parte sanguineo tuo sudore, & luere morte gravissimâ debebas: O quam gravia sunt mea peccata quæ talem deposcunt satisfactionem, da igitur gratiam Domine, tuomet merore mihi promeritam, ut tuo exemplo edoctus ob mea (heu! nimis multa & enormia peccata, me prosternam coram te omni tempore tanquam filius prodigus veniam cum lacrimis à misericordissimo patre exposcens.

§. 46. Orans & dicens: Pater si possibile est transeat à me calix iste. v. 42.

An humana natura ista loquebatur terrore eorum quæ supra eam ventura erant tormenta? eaque apprehendens aliud remedium non sciebat, quam recusare passionem tam acerbam? non credo, quando video eandem regimine divino munitam, alias a deo fortiter volentes abdicare passionem eius increpuisse; quid igitur orat: *si possibile est transeat?* Exemplum factus est nobis caput nostrum sanctum per omnia. nimirum ut nos membra discamus refugium quærere apud Deum patrem, Cui nostra omnia cognita, si forte differre passiones & mala nobis instantia vellet & orari ut ipse oravit: Pater si possibile est transeat hæc crux, hoc periculum, hic morbus &c. nam natura mea ita abhorret à passionis futuræ tormentis ut quasi deficiat ex apprehensione malorum mihi, ut puto, instantium verberum, alaparum, sputorum, contumeliarum, crucis, mortis acerbissimæ & ignominiosissimæ: vel igitur differ modicum, vel conforta naturam deficientem & imbecilem.

O Pater dulcissime video causam propter quam voluisti ita filium tuum orare: attende quæso, piissime pater, dolores istos cordis tibi dilectissimi, respice miserabiles tremores ipsius, ascendant acerbis gemitus illius in cor tuum, moveat te sudor eius sanguineus toto è corpore manans, vide ut ad terram humiliatus est, exaudi tandem fervidas preces eius pro me, quando quidem cuncta eius membra plorant & clamant ad te, da illi desiderium cordis sui, quando voluntate penitus resignata totum se ad te convertit & in vera dilectione fundit preces suas, nec quærit commodum suum sed salutem fratrum suorum, & deprecationem impendentium illis malorum.

§. 47. Verum amen; non sicut ego volo, sed sicut tu. v. 43.

Notandum hic venit Salvatorum nostrum Iesum Christum semper cum Spi-

Spiritu & vniuersis viribus suis fuisse erectum atque extensum ad obsequium, & honorem patris sui, Spiritus namque diuinus naturam illius cum viribus, eiusdem suauiter complexus erat, reddens eas subditas legi & scripturis omnibus quæ de ipso erant, vt perficerentur ea juxta gratissimam patris voluntatem, ideoque Corpus & animam & quidquid habebat obedienter obtulit in manus omnipotentis patris sui, optans vt cuncta in se perficerentur quæ ab æterna sapientia Dei & Consilio Spiritus sancti decreta & præfinita erant, & hic quidem in hoc spiritu pace & quiete seuebatur, eo quod simpliciter se se resignarat Deo Patri absque vlla huius vel illius electione, vnde postquam pro nostra institutione rogauerat patrem, vt tolleretur à se calicem passionis, statim correxit & dixit ad eandem nostri cruditionem: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

OIncomprehensibilis charitas Christi Iesu quem non amor hic feruentissimus accendat? quis fructum, vtilitatem, salutem, & sempiternam bona cogitare sufficiat quæ nobis ex hoc verbo maxime salutifero nata sunt illo scilicet: *Veruntamen non sicut ego, sed sicut tu.* nimirum istud omnium est saluberrimum verbum, quod vnquam dictum fuit, quia isto verbo filius Dei nos mercatus est, ita vt dando Patri æterno voluntatem suam, pater vicissim dederit in illius arbitrio voluntatem suam, & sic iam inde ab huius prolatione verbi, cœlestis pater antiquas posuerit inimicitias omnemque iram suam mutauit in misericordiam, recipiens nos in gratiam, adeo vt iam simus filii Dei & cohæredes Christi regni cœlorum, qui antea eramus iræ filij & hospites tenebrarum.

Venite iam deuoti omnes & quotquot estis bonæ voluntatis, qui in virtutibus proficere desideratis, contemplantini hic ipsum virtutum speculum, perfectionis viam. Sequimini Dominum vestrum, iisdem ingredimini vestigijs quibus vos ille præcessit; discite hic propriam abnegare voluntatem & exequi diuinam: discite sensualitatem & vitiosas propensiones vestras, à Deo vos abstrahentes vincere & in spiritus redigere seruitutem, vt juxta S. Pauli sententiam, sensus omnes sub freno & ad vestram habeatis voluntatem ad obsequium Christi, tunc vicissim faciet Dominus omnes voluntates vestras: O felix commercium, felix commutatio!

§. 48. *Et venit ad discipulos suos & inuenit eos dormientes. v. 44.*

Postquam Deum Patrem orasset, pro auertendis malis nostris, nec spem nec consolatorem inueniens, præ angustia cordis surgit, & quærit discipulos, an fors per ipsos in hac sua pro nobis assumpta desolatione aliquod

D

solatium